

& cautelam duximus roborandam. Datum *Hamelen*, cum *Burgenfes* ibidem nobis facerent fidelitatem. Anno Domini 1335, ipſo die *Gordiani & Epimarii* martyrum, præſentibus famoſis & honeſtis viris *Johanne de Oldendorp*, *Warnero de Adeleveſen*, *Hypolito de Wredene*, & *Ludolpho de Oldershufen* militibus, & quam pluribus aliis fide dignis.

## XII.

*De Advocatia Hamelenſi Erneſti Ducis de Brunſwic anno 1336.*

*Dominica ante diem S. Viti.*

**V**An der gnaden Goddes, *Hertzoze Ernſt van Brunſwick* bekennen openbarlichen in düſſen breſe, dat wy mit guder vordachtigkeit, un mit witzſcop un wilkore fruwen *Albeide* unſer Ehelicken huſfruwen undt aller unſer rechten Erven, hebbet gefat und ſettet in düſſen ſülven breſe den erbaren lüden herrn *Frederickes Schulteten*, herrn *Killeken* finer echten huſfruwen, unde ören rechten erven unde to ören truwen henden *Arnolde Hacken*, un unſen getruwen Börgern dem *Rade* unde *Stadt* to *Hamelen* de 40 lb. geldes *Hämelfcher* pennige, de de ſülve *Rath* unde *Stadt* uns aller jährlickes ſint plichtig to gevende, jo uppe *S. Martins* dag, un vogedie, un gerichte to *Hamelen*, en buten un en binnen over de vogtluhde, un over dat vogt gudt, de lude und alle dat in de vogdy höret, vor 300 fl. lödiges ſülvers *Hämelfcher* wite un wichte mit unterſcheide, als herna beſchreven is, dat wii niſchüllet nochen möget de 40. lb. geldes, vogdii un gerichte, mit ein ander nicht löſen, ehe *S. Martins* dage, de nuh nilkeſt komt fort over ein jahr; darna möge wii aller jährlickes, wann es uns gelüftet de 40. lb. geldes, vogedye un gerichte mit einander van öhn löſen vor 300 lödige marck, welcke tydt, dat wy ön dat ſülver twiſchen vvinachten un midden ſommer binnen *Hamelen* vvytlicken mit *Hämelfcher* vvytte un vvychte. Ock en mögen vvy de 40. lb. geldes to nener tyde löſen, vvii löſen de vogedie un gerichte mit den 40. lb. geldes; vville vvy aver de vogedie un gerichte, alſe hyrvor geſchreven ſteyt löſen, ane de 40. lb. geldes, dat möge vvy don na *S. Martins* dage de nu neyſt kombt vor 100 lödige marck un aller jährlickes, vven er uns gelüftet, deſto vvy öhn to betalen twiſchen vvinachten un midden ſommer binnen *Hamelen* vvytlicken mit *Hämelfcher* vvytte und vvychte. To einem uhrkunde düſſer *Rehde* hebbe vvii *Hertoge Ernſt* de vrogenante an düſſen breſſ gegeben beſegelt mit unſem inſegele, un vvillen dat ſtede un gantz holden, Un vvy *Alheidt* van der gnade Goddes *Hertoginne* to *Brunſchwic*, to einer betüginge, dat vvii diit vvilleköret un gevulbordet hebbet, ſo hebbe vvy öhne ock düſſen breſſ beſegelt, mit unſem inſegele, düſſer rede der ſynt tüge de *Edlen Heren Graffe Harmen von Everſtein*, *Graff Otto ſyn broder*, de *Proveſt iſt to Hamelen*, un de *Erfamen Herr Lühder van Wege*, *Herr Floricke van Wrefenhofs* *Riddere*, *Herr Cordt van Warmeſtorpe* *Sangmeiſter* to *Eimbeck*, un *Diderich van Bremen* *Knechte*, un vvy alle, de hier vor tüge ſtahet, to einem urkunde, dat vvy over düſſe degedingen ſynt geveſen, hebbe vvy dorch bede vvillen unſes *Junckern Hertogen Ernſtes van Brunſchwic* unſe inſegele gehengen an düſſen breſſ, de ys gegeben na der *Jahrtall* Goddes bort 1336. jahr des negſten *Sontages* vor *S. Vites* dage.

## XLII.

## EXCERPTA

## HISTORIARVM MEMORABILIVM

CÆSARII HEISTERBACENSIS

MONACHI ORDINIS CISTERTIENSIS

LOCA QUÆ AGVNT DE REBVS OTTONIS IV  
ET CONTEMPORANEIS.

Ex Lib. I. cap. 31.



O tempore, quo *Rex Otto* profectus est *Romam* coronari in Imperatorem, imperium supra *Mosellam* fratri suo *Henrico Palatino* regendum commisit: hic nobilem quendam virum prædonem, per iudicium capitali sententia damnavit: advenit *Daniel Abbas Sconavia*, suisque precibus apud *Palatinum* obtinuit, ut ei liceret vivere, & Deo pro peccatis suis in ordine *Cisterciensi* satisfacere. Sic homo pro suis sceleribus morti addictus, per gratiam conversionis evasit sententiam damnationis.

Ex



Ex Lib. II. cap. 9.

**I**N *Wormatia* ante paucos annos quidam *Episcopus* fuit, nomine *Lupoldus*, solo quidem nomine *Episcopus*, opere autem tyrannus . . . . Iste *Lupoldus* ita diabolicus erat, ut tempore scismatis, quod erat inter duos Reges *Ottonem* scilicet & *Philippum*, cum sibi usurpasset *Episcopatum Maguntinensem* ejusdem *Philippi* auctoritate, & multis interesset bellis, non parceret ecclesiis, non cœmeteriis. Et cum milites sui ei dicerent: Domine, non licet nobis spoliare cœmeteria, respondit; Si ossa mortuorum tollitis, tunc primum cœmeteria spoliatis. Qui cum esset privatus ab officio & beneficio ab *Innocentio Papa*, propter invasionem jam dicti *Episcopatus*, auxilio *Philippi* fretus, collecto exercitu, profectus est in *Italiam*, ipsum *Papam* debellare; quem etiam in diversis locis, quod dictu horribile est, ardentibus candelis excommunicavit. Postea verò in odium *Imperatoris Ottonis*, officio & beneficio restitutus est. Vir iste saepe & valdè, ut jam dictum est, cecidit, nescio utrum surrexit in fine per contritionem: hoc scio, quod legatio in qua hominem deposuit, multæ dissensionis seminarium fuit.

Ex Lib. II. cap. 31.

**P**astorem hunc superiorem, *Adolphum Episcopum* intelligo, qui post mortem *Henrici Imperatoris* quasi venale Imperium habens, veneno avaritiæ seipsum infecit, plurimosque interfecit; posuit enim cor suum, id est, consilium suum in ventres luporum, ad thesauros *Richardi regis Angliæ*, late hiantium, quorum consilio *Ottonem Saxonem*, filium sororis ejus, in Regem Romanorum elegit. Et tunc crudelis illa bestia, scilicet avaritia, facta est homo, id est, hominibus ita sociabilis & chara, ut ejus zelo, Christianæ potestates à justitia & fide motæ, negligerent juramenta, perjuria parvipendentes. Missus est eodem tempore *Cardinalis Coloniam*, qui *Ottonis* electionem confirmaret, principesque à juramento quod *Frederico*, qui nunc regnat, fecerant, absolveret, quod magis, ut rei exitus probavit, Imperii fuit divisio, quam confirmatio. Ab illo tempore provinciæ incendiis vastantur, & ecclesiæ deprædantur, sanguis multus effunditur, *Adolphus* deponitur, *Colonia* obsidetur. In principio *episcopatus* ejusdem *Adolphi*, cum præcessissent anni magnæ abundantiæ, tres fuerunt anni tantæ sterilitatis, ut in primo anno modius filiginis venderetur marca argenti . . . . Tempore divisionis *Romani Imperii*, *Dominus Innocentius Papa* à multis judicabatur, ita ut eum dicerent ejusdem schismatis auctorem, primo partem *Ottonis* nimis fovendo, postea eundem persequendo. Propter hoc, cum idem beatæ memoriæ *Innocentius* die quadam sermonem *Romæ* ædificatorium faceret in populo, *Joannes Capotius*, qui *Ottoni* favebat, ejus sermonem interrupit dicens; *Os suum os Dei est, sed opera tua, opera Diaboli sunt.*

Ex Lib. IV. cap. 15.

**F**rater *Wilhelmus* aliquando camerarius noster, ante conversionem canonicus fuerat apud *Trajectum* inferius: hic tempore adolescentiæ suæ signatus cruce, gratia *Dominici* sepulchri transfretavit. Antequam navis, in qua erat, portum *Achonis* attigisset, ignem facularum ante ortum auroræ circa civitatem in diversis locis, tam ipse, quam ceteri viderunt: quæ cum interrogassent nautas causam ignis, responderunt: Tempus est æstivum, & cives propter calorem tentoria sua ob refrigerium circa civitatem metati sunt. Hoc ita esse putantes, in portum *Achonis* devenerunt, & tunc primum, quia *Saraceni* obtinuissent civitatem cognoverunt. Eodem tempore, peccatis nostris exigentibus, data fuerat terra sancta in manus *Saladini regis Syriæ*, regnante *Frederico Romanorum Imperatore*. *Noradinus* autem filius *Saladini*, vir naturaliter pius & beneficus, tunc erat in civitate; hic cum navim Christianorum in portu vidisset, & eum causa adventus ejus, eò quod esset sola, non lateret, misertus Christianorum, quendam nobilem paganum, in lingua Gallica satis expeditum, ad navem cum galea misit, per quem, ne timerent, mandavit. Usque ad illam horam fuerant in suspensio positi, ignorantes utrum essent occidendi, vel capiendi. Interim nobilis quidam Christianus de *Alemania* oriundus, in extremis laborans, omnia sua arma valdè decentia, cum tribus dextrariis per eundem paganum *Noradino* misit, pro vita fratrum illi supplicans: Ego, inquit, tribus annis voveram Christo in his armis servire, sed ut video, non est ejus voluntas. Destinati sunt & nuncii Christiani, ex quibus unus erat frater *Wilhelmus*, propter scientiam linguæ Gallicæ, qui munera principi præsentarent: *Noradinus* vero, ut vidit xenia transmissa, cum multa devotione suscepit, & singula, id est, loriam, clypeum, galeam, gladium, nec non & dextrarios deosculans, quia per semetipsum visitare vellet infirmum, remandavit. Interim milite mortuo, & cautè appenso lapide ejecto, ac etiam demerso, alioque milite ægroto, etiam æque nobili viro, in loco infirmitatis ejus reposito, Rex manè cum multis diversi coloris galeis egressus advenit, navem intravit, & de transmissis gratias referens ante infirmum sedit, atque cum medico, quem secum adduxerat, de convalescentia illius disputavit: obtulit & quædam nobilissimi generis poma; quæ cre-



viffe dicebat in horto patris sui apud Damascum; deinde ait infirmo: Propter te omnibus Christianis benefaciam. A quo cum peterent conductum ad civitatem sanctam Jerusalem, quam adhuc tenebant Christiani, respondit: Non esset vobis tutum, neque mihi honestum, si latrunculi, qui modo per omnes vias illius vagantur, vos læderent, & conductum violarent. Egressus vero de navi, tam ægroto, quam cæteris valedixit, dans eis licentiam repatriandi, contra impetus Saracenorum signo teli regalis illos muniens. Tunc supradictus nobilis paganus, reducens secum in civitatem fratrem Wilhelmum, interrogavit eum dicens: Dic ô juvenis, quomodo servant Christiani legem Christianam in terra tua? Ille dicere nolens, quod verum fuit, respondit: Satis bene. Ad quod Admiraldus: ego dicam legem Christianorum terræ hujus. Pater meus erat vir nobilis & magnus, & misit me ad Regem Jerosolymitanorum, ut Gallicum discerem apud illum, ipse vero versa vice misit patri meo suum filium, ad discendum idioma Saracenicum: unde omnis vita Christianorum benè & optimè mihi nota est. Non fuit aliquis civis adeo dives in Hierosolyma, qui pro pecunia forem, filiam, vel, quod execrabilius erat, luxuriæ peregrinorum uxorem propriam non exponeret, sicque illos mercedibus laborum suorum evacuaret. Ita omnes gulæ & carnis illecebris dediti erant, ut nihil omnino à pecoribus differrent. Superbia verò sic in eis regnavit, ut cogitare non sufficerent, quali modo vestimenta sua inciderent, fringerent, atque cultellarent. Idem dico de calceamentis. Et adjecit: Considera vestimenta mea, calceamenta mea, quam sint rotunda, quam ampla, quam simpliciter & humiliter formata. Sicut nobis retulit idem Wilhelmus, manicas habebat laxas & amplas, sicut monachus: nulla erat in vestibus plicarum multiplicitas, nulla curiositas, licet ipsa vestium materia foret satis preciosa. Ecce, inquit, ista sunt vitia, propter quæ ejecit Deus Christianos superbos & luxuriosos de terra ista: non enim diutius potuit tantas illorum iniquitates sustinere. Putas, quia nostris viribus obtinuerimus illam? nequaquam. Novissimè etiam hoc adjecit: Neminem ex Regibus vestris timemus, neque ipsum Imperatorem vestrum Fredericum, sed sicut legimus in libris nostris, Christianus Imperator quidam surget Otto nomine, qui terram hanc cum civitate Jerusalem cultui Christiano restituet. Nos ita audientes, sperabamus, quia prophetia illa implenda esset in *Ottone Imperatore Saxone*, qui ante aliquot annos defunctus est. Eodem tempore Saladinus humanitatem exhibuit Christianis satis magnam. Cum esset exercitus Christianorum partim ab ejus exercitu occisus, partim captus, atque dissipatus, reliquias civitatum, quæ se ultro reddiderunt, in civitatibus ejusdem esse permisit, sub bona tamen custodia. Diebus aliquot elapsis, cum requisisset à suis, quomodo se haberent Christiani, responderunt illi: Domine non aliter vivunt quàm pecora, ludis tantum, gulæ, & illecebris servientes. Tunc iratus jussit eos de civitatibus expelli.

Ex Lib. IV. cap. 45.

**I**N Saxonia civitate *Brunsvich*, miles quidam nobilis fuit, nomine *Baldewinus*, ejusdem civitatis *advocatus*: iste, inspirante Deo, seculum deserens, in domo quadam ordinis nostri, quæ *Relaxhusen* dicitur, habitum suscepit; qui toto anno probationis ita sibi rigidus extitit, ut tam ab Abbate, quam à magistro suo sæpe argueretur. Factus verò monachus, tanti fuit fervoris, ut non sufficerent ei communia; imo etiam communibus superadderet multa specialia, & proponeret privata. Cæteris quiescentibus, ipse laboravit; aliis dormientibus, ipse vigilavit. Tandem ex nimis vigiliis & labore, exsiccato jam cerebro, tantam capitis incurrit debilitatem, ut nocte quadam, antequam conventus ad matutinas surgeret, oratorium intraret, formam novitiorum ascenderet, & funi campanæ collo suo circumligato defiliret, ipsamque campanam, mole corporis trahendo, crebris ictibus pulsaret. Territus custos, festinavit, in oratorium; sed multo amplius territus est, dum sic pendere videret monachum: accurrens tamen funem incidit, & adhuc palpitantem, & pene strangulatum deposuit atque refocillavit. Ab illo tempore nunquam sensum pristinum recuperare potuit. Adhuc dicitur vivere, nec est ei curæ, quid, vel quando comedat, sive quamdiu dormiat.

Ex Lib. IV. cap. 75.

**H**enricus de *Wida* miles fuit dives valde, potens & nominatus, *ministerialis Henrici Ducis Saxonum*, adhuc plures vivunt, qui illum noverunt, & rei, quam recitaturus sum, fortè recordantur. Habebat is uxorem nobilem ac dilectam. Die quadam cum sermo inter eos haberetur de culpa Evæ, cœpit illa, ut mos est mulieribus, eidem maledicere, & de inconstantia judicare animi, eo quod pro modico pomo, gulæ suæ satisfaciens tantis pœnis ac miseriis omne genus humanum subdidisset. Cui maritus respondit: Noli illam judicare, tu fortè in tali tentatione fecisses simile: ego volo tibi aliquid præcipere, quod minus est, & propter amorem meum minimè poteris custodire illud respondente illa: Quod est mandatum? Subjuxit miles: Ut die illa, qua balneata fueris, paludem curiæ nostræ nudis pedibus non ingrediaris; aliis diebus, si libet, intres. Erat enim aqua putens & fimosa, ex totius curiæ fordibus collecta. Illa subridente, & præcepti transgressionem abhorrescente, sub.



subjunxit Henricus; volo ut pœnam addamus; si tu fueris obediens, quadraginta marcas à me recipies; sin autem, totidem mihi solves. Et bene placuit ei. Ille vero, ipsa ignorante, secretos custodes paludi adhibuit. Mira res, ab illa hora matrona tam honesta, & tam verecunda, nunquam per curiam transire poterat, nisi ad prædictam paludem respiceret, & quoties balneabatur, toties de eadem palude tentabatur. Die quadam exiens de balneo, dixit pedisse quæ suæ; Nisi ingressa fuero paludem illam, moriar: statimque succingens se, cum circumspexisset, & neminem videre putaret, comitante ancilla, aquam illam fœtidam, usque ad genua intravit, & huc illucque deambulando, benè concupiscentiæ suæ satisfecit. Quod statim nunciatum est marito ejus. Ille gaudens, mox ut eam vidit, ait: Quid est domina, fuistisne hodiè bene balneata? respondente illa, fui; adjecit; In dolio, vel palude? Ad quod verbum confusa tacuit, sciens eum suum excessum non latere. Tunc ille: Ubi est domina mea constantia vestra, obedientia vestra, jaçantia vestra? Eva villus tentata fuistis, tepidius restitistis, turpius cecidistis; reddite ergo, quod debetis. Et cum non haberet illa, quod solveret, omnia vestimenta ejus pretiosa tulit, & per diversas personas distribuit, sinens eam per aliquot tempus benè torqueri.

## Lib. V. cap. 21.

**A**nno Domini millesimo ducentesimo decimo prædicata est contra Albienses in tota Alemania & Francia crux, & ascenderunt contra eos anno sequenti de Alemania *Lupoldus Dux Austria*, *Adolphus comes de Monte*, *Wilhelmus comes Juliacensis*, & alii multi diversæ conditionis atque dignitatis. Simile actum est in Francia, Normania, atque Pictavia. Horum omnium prædicator & caput erat *Arnoldus Abbas Cisterciensis*, postea *archiepiscopus Narbonensis*. Veniens ad civitatem magnam, quæ *Biders* vocatur, in qua plus quam centum millia hominum fuisse dicebantur, obsederunt illam.... Quidam satellites zelo fidei accensi, leonibus similes, exemplo illorum, de quibus legitur in libro Machabæorum, scalis appositis, muros intrepidè ascenderunt; hæreticisque divinitus territis & declinantibus, sequentibus portas aperientes, civitatem obtinuerunt. Cognoscentes ex confessionibus illorum catholicos cum hæreticis esse permixtos, dixerunt Abbati: Quid faciemus domine? Non possumus discernere inter bonos viros & malos. Timens tam Abbas, quam reliqui, ne tantum timore mortis se catholicos simularent, & post illorum abscessum iterum ad perfidiam redirent, fertur dixisse: Cedite eos; novit enim Dominus, qui sunt ejus. Sicque innumerabiles occisi sunt in civitate illa. Aliam iterùm civitatem magnam, à re *pulchram vallem* vocatam, quæ sita est juxta *Tolosam*, virtute divina obtinuerunt: in qua populo examinato, cum omnes promitterent se velle redire ad fidem, quadringenti quinquaginta in sua pertinacia indurati à Diabolo permanserunt; ex quibus quadringenti combusti sunt in igne, cæteri patibulis appensi. Idem actum est in cæteris civitatibus, atque castellis, miseris se ultro morti ingerentibus. Tolosani vero arctati omnem promiserunt satisfactionem; sed ut postea patuit, in dolo. Nam perfidus *Comes Sancti Egidii*, princeps & caput omnium hæreticorum, omnibus sibi in consilio Lateranensi abjudicatis, feudis videlicet & allodiis, civitatibus & castris, & ex maxima parte eisdem à *Comite Simone de Forti monte*, viro catholico, jure belli occupatis, in Tolosam se transtulit, de qua usque hodie fideles vexare & impugnare non cessat..... Albienses, antequam veniret contra eos exercitus Domini, ut supra dictum est, *Miralimomelinum* regem de Marroch in auxilium sibi invitaverant, qui de Africa in Hispanias cum tam incredibili multitudine venit, ut totam Europam se obtinere posse speraret. Mandavit etiam *Innocentio Papa*, quia equos suos in porticu ecclesiæ beati Petri vellet stabulare, & super illam vexillum suum figere: quod ex parte impletum est, etsi secus, quam ipse cogitasset. Et quia Deus frangit omne superbum, eodem tempore, scilicet anno *gratie millesimo ducentesimo duodecimo*, decimo septimo Kal. Augusti, de exercitu ejus sexaginta millia pugnatorum ceciderunt, ipse vero se in Siciliam transferens, ex dolore mortuus est. Cujus vexillum principale in bello captum, Innocentio est transmissum, & in ecclesia prædicta, ad Christi gloriam erectum. Hæc de Albiensibus dicta sint.

## Ex Lib. V. cap. 25.

**E**O tempore quo *Otto rex* profectus est Romam coronari in Imperatorem, & issent cum eo *Johannes Episcopus Cameracensis*, *Henricus Scholasticus Sancti Gereonis*, *magister Hermannus canonicus Bonnenfis*, simul ingressi sunt cujusdam hæsiarchæ scholas. Locum, quem tunc legebat, is erat; Jam judicium mundi venit: jam princeps mundi hujus ejicietur foras. Quem locum ita glossavit: Ecce Christus Diabolum principem hujus mundi vocavit, quia hunc mundum creavit. Cum quo prædictus Hermannus satis durè disputavit, et, sicut mihi retulit, quod Deus creasset omnia visibilia & invisibilia, corporalia & spiritualia, non solum ex scripturis, sed ex ratione monstravit.

Ex



**H**omo quidam simplex *Engilbertus* nomine, de Provincia *Tulpeti* natus, ante paucos annos defunctus est. Iste cum esset cæcus natus, propter varia dona, quibus hominem ejus interiorum illuminaverat gratia divina, in diversis provinciis noscebatur, & à multis, magnisque personis, sexus utriusque venerabatur. In cappa simplici, & tunica lanea, nudisque pedibus, tam æstate, quam hyeme incedebat, & puero se regente, sic limina sanctorum satis remota sæpius visitavit; carnibus nunquam vescabatur, non lectisterniis, sed modico tantum straminis vel fœni noctibus utebatur. Ego multa bona de eo vidi, & ipse multos, tam verbo, quam exemplo ædificavit. . . . Et quia cum simplicibus sermocinatio Domini est, dedit ei etiam spiritum prophetiæ, ut damnum luminis exterioris, claritate oculorum interiorum compensaretur. Tempore quodam invitatus à *Ducissa Saxonie*, uxore *Henrici ducis*, matrona valde religiosa, inter alia multa, quia unus ex filiis ejus Imperator esset futurus prædixit. Quod postea impletum vidimus in *Ottone*, qui Henrico successit in Imperio. Hic cum post electionem in maximis fuisset tribulationibus, & penè ab omnibus desperatus, ab eodem cæco confortatus est, eo asserente, quia omnibus modis forent implenda, quæ à Deo fuerant præordinata. Ante illa tempora, cum *Hellwindis de Giemenich* vidua religiosa, ob discordiam duorum comitum terræ nostræ, timeret filiis suis *Arnoldo* & fratribus ejus, ipsumque rogaret, ut pro ipsorum incolumitate Deo supplicaret. Respondit; Ne sollicita sis pro ista discordia, quia bene sopietur; verum alia multo major in januis est, pro qua non solum filii tui, sed tota terra concutietur. Hoc impletum est sub jam dicto *Ottone* & *Philippo* ejus in regno adversario.

## Ex Lib. VI. cap. 15.

**C**um sub imperatore *Frederico*, hujus *Frederici* avo, una ex imperialibus Abbatibus vacaret, duoque electi essent, nec concordare possent, unus illorum magnam summam argenti, quam in monasterio congregaverat, eidem *Frederico* obtulit, quatenus sibi assisteret. Et promisit ei pecunia recepta. Postea intelligens adversarium ejus virum esse bonum, simplicem, & ordinatum, cepit cum suis habere consilium, qualiter indignum amoveret, & ob virtutes suas electum, confirmaret. Et dixit ei quidam; Domine, sicut audivi, monachi omnes ex regula tenentur acus portare; sedente vobis in capitulo, dicite illi inordinato, ut ad punitionem digitorum vestrorum acum suam vobis accommodet, & cum non habuerit, invenientis contra eum occasionem quasi de irregularitate. Quod cum factum fuisset, & ille non haberet, ait alteri; Domine præstate mihi vos acum vestram: quam cum ille mox extraheret, forte præmonitus; Respondit imperator; Vos estis monachus in ordine justus, & ideo tanto honore dignus: ego decreveram honorare adversarium vestrum, sed ille irregularitate sua se reddidit indignum. Bene apparet in his minimis, quam negligens & dissolutus sit in maximis. Talique sophismate monachum astutum Imperator amovit, & simplicem in Abbatem promovit.

## Ex Lib. VI. cap. 16.

**O**tto antecessor in imperio *junioris Frederici*, qui nunc imperat, cum die quadam tres Abbatibus ordinis nostri illi loquerentur, volens eos probare, uni illorum dicebat: Domine, Abba, concedite mihi acum vestram. Respondente eo, Non habeo Domine: rogavit secundum, qui etiam non habuit. Tertius vero requisitus, cum haberet acum, respondit ei Imperator; Vos estis verus monachus. Ecce hoc est, quod jam dixi, acum in monacho fingnum esse virtutis.

## Lib. VI. cap. 26.

**B**ertolphus Palatinus de *Witillimbach* judex erat severissimus, ita ut furibus, etiam pro damno unius oboli, vitam auferret. Et sicut à quodam Abbate audivi, quotiens exivit, laqueos cingulo suo appendit, ne reorum pœna caperet dilationem. Die quadam manè surgens, & laqueum cingulo suo solito subnectens; hujusmodi vocem in aëre audivit; Bertolphe, quicumque tibi egresso de castro tuo primus occurrerit, hoc laqueo eum suspendas: qui vocem pro omine accipiens, mox ut egressus est, occurrit ei quidam Scultetus suus primò: quo viso, cum satis doleret, eo quod hominem diligeret, dicebat illi; Doleo de cursu tuo. Cui ille respondit; Quare? Cui ille, Quia suspenderis. Et ille; Quare suspendar? Respondente illi Palatino, Nescio; sed præpara te ad confessionem, & ordina de rebus tuis, quia voci divinæ resistere non debeo. Ille videns aliter esse non posse, ait; Justus est Dominus, ego plures in domum meam declinantes insequens, occidi, multis sua rapui, nec tibi domino meo unquam fidelis extiti, neque pauperibus peperci. Et mirati sunt omnes audientes ejus confessionem, & cognoverunt in ejus morte peccati pœnam esse à Deo. Et quia idem, Palatinus sine misericordia judicavit, cum in ultionem *Philippi Re-*



gis, quem occiderat, ab Henrico Marschalco ejus interficeretur, misericordiam quæsit, nec invenit. Non æquum judicium, nec à Deo præceptum, ut minor & major culpa simili pœna plectantur.

## Ex Lib. VI. cap. 27.

**T**empore schismatis, quod erat inter Philippum & Ottonem reges Romanorum, cum Colonienſes, tum propter obedientiam sedis Apostolicæ, tum propter jusjurandum eidem Ottoni factum, fideliter assisterent, & multis damnis atque periculis subjacerent, quidam ex eis à fautoribus Philippi, ut dicebatur, corrupti sunt occulte: inter quos potio videbatur Theodoricus de Erinportze. Percujus astutiam, tantum laboratum est, ut deserto Ottone, Philippus in civitatem reciperetur. Ore quidem fuerat cum illo, sed corde cum isto. Die quadam, cum Philippus patronos civitatis, qui circumferebantur, sequeretur, ducebat idem Theodoricus eum ad matronas, respiciens & dicens; Ecce dominæ, iste est Rex meus, quem semper optavi. Mira dispensatio Dei, anno revoluto, die eadem per eandem plateam mortuus efferebatur. Et cum in monasterio sanctimonialium, quod Piscina dicitur, esset sepeliendus, literis Priorum, quos nimis turbaverat, est prohibitus.

## Ex Lib. VII. cap. 41.

**M**ortuo prædicto Brunone, & post occisionem Philippi, Ottone jam in regno confirmato, de successore in Ecclesia Colonienſi satis tractabatur; Hermannus Decanus Bonnenſis, qui vir est, ut noſti, valde literatus, cum Deum, ejusque genitricem, sicut ipse mihi retulit, toto cordis affectu deprecaretur, quatenus tantæ ecclesiæ dignus præficeretur, noctu in visu eadem Virgo beata ei apparens, & librum aureis literis scriptum porrigens, ait; Defer librum istum Episcopo. Nihil aliud in libro continebatur, nisi angelicæ salutationes, id est, Ave Maria, gratia plena. Per librum intellexit episcopatum, quem cum ferre vellet Joanni episcopo Cameracensi, eò quod tam Rex, quam ipse illi faverent, probitatem illius cognoscentes, revocavit eum beata Virgo, dicens; Non Joanni, sed Theodorico sanctorum Apostolorum Præposito deferas illum. Quod si in episcopatu non bene se habuerit, sicut per me illum adeptus est, ita per me illo privabitur. Semper in ejus obsequio idem Theodoricus devotus fuerat, & sicut mihi notum est, quotidie missæ ejus quotidianæ vult interesse, nummum offerens singulis diebus. Tempore electionis, cum Rex pro Episcopo Cameracensi intercederet, eique ab electoribus responderetur, quod idioma terræ ignoraret, cessavit. Hoc ipsum prædixerat præfatus Hermannus. Tunc electores, personis quatuor vota sua commiserunt, à quibus Theodoricus in Antistitem electus: qui post dies paucos, à malis consiliariis in tantum depravatus est, ut modicam haberet differentiam inter personas laicas & ecclesiasticas, inter rusticos & monachos. Æque ab his ut ab aliis telonia recipiens, indebitis exactionibus utroque gravans. His aliisque actibus malis Dei genitrix irritata, egit sicut ex superiori visione colligitur, ut indigne satis à Moguntino deponeretur, episcopo æmulo ejus per electionem substituto. Apollonius: Quod durus fuerit ordini nostro in episcopatu, satis intellexi. Cæsarius: Idcirco merito ab illa dejectus est, quæ ordinis est advocata.

## Ex Lib. VII. cap. 43.

**A**nno præterito duo milites Germani, ministeriales Palatini Comitum Rœni, ex quibus unus Sybodo, alter Baldemarum vocabatur, multis secum assumptis, armata manu venerunt in villam Cuffule, forum rerum venalium in odium Walrami Comitum de Lutzellenburg spoliantes, & multa pecora, aliaque diverſi generis spolia secum deducentes. Erat autem in eadem die triplex solennitas, dies videlicet Dominicus, Nativitas S. Dei genitricis, & dedicatio ecclesiæ ejusdem villæ. Nocte præcedenti, cuidam militi ex comitibus Sybodonis talis visio ostensa est: B. Virginem Christi pedibus vidit provolutam, & voce clara dicentem; Conqueror tibi, Domine fili, de Sybodone, & complicitibus ejus, qui dedicationem ecclesiæ meæ turbaverunt, hominesque ad illam confluentes spoliaverunt, nullum tuæ diei, neque meæ nativitati honorem deferentes. Quod enim eadem die futurum sciebat, jam pro facto reputabat. Miles de visione tremefactus, cum Sybodoni eam recitasset, & ille parvi pendens recitata, ipsum somniasse diceret, renitentem, ut se sequeretur, coëgit. Dominus vero virtutum, qui de Chaldæa adduxit Nabuchodonosor, per quem Judæorum superbiam humiliavit, Walramum juvenem, per quem injuriam vindicaret, advocavit: nam die eodem circa nonam, inopinante cum armatis militibus Cuffule intravit; in dimidio enim anno illuc non venerat. Hi, qui bona sua perdiderant, quærimoniam de Sybodone facientes, cum Walramus, quò isset, vel ubi esset, interrogaret, responderunt; Domine, ad quatuor miliaria in tali loco secure quiescit. Tunc ille furorem suum dissimulans, ait; Hodie festum Sanctæ Mariæ est, bellare nobis non licet; jussit tamen dextrariis dari pabulum, ut modicum quiescentes, fortiores ad conflictum redderentur. Ante solis occasum cum omnibus suis, equis

Uuu

ascen-



ascensis, infecti sunt hostes, & nocte super securos irruens, alios cepit, alios occidit, vixque aliquis evasit, præter militem, qui prædictam viderat visionem. His ita gestis, dicebat mulier quædam Walramo; Domine, ecce capita prædonum istorum quiescunt in tali loco; recesserant enim modicum à villa in cortem quandam illic dormientes. Mox illuc omnes divergentes, cum sepes, & portam cortis incidere, signumque militare Walrami clamarent; & hoc intimaretur Sybodoni, ille territus, cum fugere vellet, surgere non potuit, neque pedem movere de loco: cui cum Baldemarus diceret: surge frater, fugiamus; respondit ille; Tu fugias, frater, ego enim fugere non valeo, quia super genua mea, quasi massam plumbi sentio; ad quod ille; Nec ego fugiam tecum volens manere, sicque ambo capti sunt & occisi, solventes pœnam sacrilegii in Dei genitricem commissi.

Ex Lib. IX. cap. 47.

**L**udovicus Comes Lossensis, pater hujus, qui adhuc superest, etiam comiciam tenebat de Reinecke; cui propter licentiam, miles quidam ministerialis bene natus, multas inferebat injurias, sua sibi usurpando, & homines ad comiciam pertinentes deprædando: quod cum omnibus amicis suis comes conquereretur, & die quadam diceret cuidam nobili viro, qui ab eo bona tenebat; Quare mihi non capitis illum prædonem? Respondit; Bene eum caperem, si essem securus, quod à vobis in corpore non læderetur. Quem cum accepta fide cepisset, comes sophisma faciens, protinus sepulcrum fieri jussit, in quo militem mollibus involutum, sine pœna poni fecit, sicque terra opertum extinxit. Cujus cognati mox furentes, coram Imperatore Frederico, avo hujus, qui nunc imperat, contra præfatum virum nobilem, cum multa vociferatione, querimoniam deposuerunt, dicentes, quod accepta pecunia comiti illum tradiderit. Cumque Imperator fremeret, innocentem damnare volens, miles quidam honestus, ascenso scamno, loquendi licentiam petivit & obtinuit; Domine, inquit, mediætem vix verborum audivistis, si miles præfatus esset, forte bene se excusaret. Respondente Imperatore; Licentiam habeas adducendi eum: miles militem adduxit; qui cum per advocatum plene se excusasset, instigantibus adversariis, Imperator respondit; Verba sunt, non sic pœnam evadet. Resistente ei milite, qui illum adduxerat, & dicente, Domine, si eum læseritis, nunquam de cætero verbis vestris credetur. Placatus Imperator adjecit; Modò liber abscedat, & si à me, vel à meis postea captus fuerit, traditionis pœnam exsolvet. Cumque vir nobilis venisset ad limen palatii, sciens longas regibus esse manus, stans & apud se deliberans, rediit ad judicium, dicens; Domine non possum effugere manus vestras, tantum præsumo de mea innocentia, & Dei misericordia, ut in instanti paratus sim me defendere secundum quod justitia dictaverit: & cum sim nobilis, juri meo cedo. Respondit Imperator; Modo loqueris sicut probus vir. Quæsitus est in parte adversaria miles fortissimus, qui eum singulari duello impeteret: die vero altera, vir nobilis, præmissa confessione, corpus Dominicum suscepit, sicque cum adversario suo, spem habens in eodem sacramento, circulum pugnaturus intravit: quem cum ille, sicut vir validissimus, impelleret & propelleret, & venissent simul ante Imperatorem, audiente tam Imperatore, quam circumstantibus principibus, pugil clara voce ait ad militem; Dic mihi, comedisti aliquid hodie? respondente illo, Etiam, corpus Domini mei comedi. Miser ille subjunxit; Etiam si diabolus comedisses, hodie te prosternam. Ut autem Dominus sacramenti virtutem ostenderet, mox post verba blasphemix vires blasphemo subtraxit, & suum militem adeò roboravit, ut illum coram se minaret ut puerum, nec stare posset. Qui tandem se reddidit, sicque per esum Dominici corporis miles fidelis victoriam adeptus, cum multa gloria ad sua liber repedavit. Hæc nobis retulit Theodericus monachus noster, quandoque comes in Wida, qui duello interfuit, & hæc, quæ dicta sunt, vidit & audivit. Igitur sacra communio salus est & animæ & corporis.

Ex Lib. IX. cap. 51.

**T**empore schismatis inter Philippum & Ottonem, Dominus Wido Cardinalis, aliquando Abbas Cisterciensis, cum missus fuisset Coloniæ ad confirmandum electionem Ottonis, bonam illic consuetudinem instituit: præcepit enim, ut ad elevationem hostiæ, omnis populus in ecclesia ad sonitum nolæ veniam peteret, sicque usque ad calicis benedictionem prostratus jaceret. Præcepit etiam idem Cardinalis, ut quoties deferendum esset ad infirmum, scholaris, sive campanarius, sacerdotem præcedens, per nolam illud proderet; sicque omnis populus, tam instratus, quam in domibus, Christum adoraret. Retulit eis eodem tempore casum satis miraculosum. Miles quidam in Francia fuit tantæ devotionis, ut quotiescunque Christi corpus elevari, sive deferri videret, prostratus illud adoraret. Contigit die quadam, ut vestibus suis pretiosis indutus intraret civitatem, cumque platea, in qua equitabat, nimis esset lutosa, ex improvviso obvium habuit corpus Domini: quo viso, modicum intra se deliberans, ait; Quid facies modo? si in tanta profunditate te prostraveris, perdita sunt vestimenta tua hæc delicata; si vero non descenderis, saluberrimæ consuetudinis transgressorem te semper accusabit conscientia. Quid plura? prævalente devotione, de equo profiliens, in lutum se



se misit, in quo flexis genibus, elevatis manibus, Christi corpus adoravit. Et quia dulcissimus Dominus honorantes se, non solum in futuro remunerat, imo etiam in presentia, nonnunquam rehonorat; hoc egit sua potentia, ut totius luti, nec una quidem guttula vestimentis ejus adhereret. Tunc equum cum multa admiratione reascendit, & amplius in fide confortatus, Deum glorificavit.

## Ex Lib. X. cap. 4.

**A**bbas de lapide sancti Michaelis, tempore capituli generalis, per Hemmenrode transiens, casum mirabilem nimis ibidem recitavit. Fuit apud nos, inquit, clericus bonæ admodum litteraturæ: hic cum die quadam in vena sanguinem minueret, sic omnem scientiam scripturarum perdidit, ut eam per sanguinem effudisse videretur. Litteram ab illa hora non cognovit latini sermonis, nec unum quidem verbum intelligere, vel proferre potuit; & ut noveritis privationem sensus non fuisse in causa, sed divinam potentiam, omnium rerum prius habitaram, plene retinuit scientiam. Qui cum tam mirabilem litteraturæ suæ jacturam cum dolore multis exposuisset, quidam ei suavitatis dicens; Anno revoluto, eodem die, & eadem hora iterum minuas, forte subtracta recipies. Quod cum fecisset, scientiam pristinam recepit.

## Ex Lib. X. cap. 17.

**D**um post confirmationem *Otonis* in regno, tanta esset abundantia annonæ, ut in Episcopatu Colonienfi maldrum quinque, vel sex denariis, multo tempore venderetur, contigit in quadam ejusdem diœcesis villa, cujus nomen excidit, miraculum dignum memoria. Pistrinx quædam panes ad coquendum formaverat; & quia tempore abundantie pistores modicum lucrantur, illa commota clamavit ad puerum suum; Mitte hunc simum in clibanum. Justo Dei judicio, factum est ei secundum verbum suum, & pasta pulcherrima per decoctionem conversa est in simum.

## Ex Lib. X. cap. 19.

**T**empore discordiæ inter *Otonem* & *Philippum*, in oratorium Sancti *Goari* confessoris, quod situm est in territorio Treverensi, & est firmissimum, tum propter situm loci, tum propter structuram, propter vinciales se, suaque transfulerunt. Quo cognito *Wernerus de Bonlant*, vir potens & dives, cum ad expugnandum illud arietes, machinasque applicuisset, nec tamen profecisset, imaginem crucifixi ligneam, hi qui deintus erant contra hostes, in quandam fenestram posuerant, sperantes quod ob illius venerationem loco parcerent. Quidam vero ex balistariis, de cruce non curans: imo locanti illam indignans, telum misit, & sacram iconem in brachio profundè fatis vulneravit. Mox mirum in modum antiqua renovantur miracula, & adinstar venæ humanæ, sanguis de loco vulneris cœpit stillare. Timore tanti miraculi, postea prædictus *Wernerus* cruce signatus est.

## Ex Lib. X. cap. 23.

**A**nno domini millesimo ducentesimo septimo, Philippo rege celebrante curiam solennem cum principibus, signum magnum apparuit in sole: in tres siquidem partes divisus est; ita ut intervalla essent inter partem & partem, ad instar liliæ tres flores habentis. Quod ubi notari cœpit, multi concurrerunt, super tanto miraculo disputantes: *Hermannus* vero *Lantgravius* interpretatus est, quod unus de principibus imperii, eodem anno moriturus esset, nec erat idonea ejus interpretatio. Post multam horam, coierunt partes, & redintegratum est corpus solare. *Abbas Carolus Vilarienfis*, nec non & monachus ejus *Wigerus*, eidem curiæ interfuerunt, quæ dicta sunt viderunt, nobis eodem tempore, visa referentes. Facta est hæc visio tertio Calendas Februarii. *Apollonius*: Quid tibi significare videtur tripartita hæc solis divisio? *Cæsarius*: Deus statum imperii principibus congregatis ostendere voluit: Sol videtur hoc loco designare *Romanum Imperium*: sicut sol magnitudine, & splendore præcellit universa sidera cœli, sic idem imperium augustius fulget, cæteris regnis mundi. Apud Romanum imperium quandoque fuit monarchia, ut sicut stellæ lumen habent à Sole, ita reges, ut regnare possent, haberent ab Imperatore. Triplex solis divisio, designabat *Schisma imperii in tres Principes divisi*, qui omnes nomen *Romani Regis* sibi usurpant; primus fuit *Fredericus*, qui adhuc patre vivente, fuit in regem à principibus electus; secundus *Philippus*; tertius *Orto* fuit, à Colonienfi Archiepiscopo, suisque auxiliariis substitutus: isti ambo *Aquisgrani* coronati fuerunt in regem. Horum uno occiso, & altero deposito, atque defuncto, *Fredericus electus*, qui *hodie imperat*, solus regnare cœpit, & quasi ad suam plenitudinem sol divisus rediit. In quibusdam provinciis eodem die visæ sunt quinque partes; supradictos tres reges intelligo: per duas reliquas, *Bernhardum ducem Saxonie*, & *Bertolphum ducem* (\*) *Thuringie*, qui fatis pro imperio ambo laborabant, accipio.

(\*) leg. Zeringiz.



Ex Lib. X, cap. 24.

Videtur mihi defectus ille solaris, præsignasse mortem *Philippi*, qui sequenti anno occisus est, & defecit. Particula illa luminosa, quæ recrescere cœpit, & augmentari, *Otto* fuit, qui post *Philippi* mortem factus est magnus atque gloriosus. Videtur eisdem temporibus adimpletum, quod Dominus in Evangelio dicit; Nam virtutes cœlorum movebuntur. Cœlum quandoque designat præsentem ecclesiam, & universalem: Cœli vero, ecclesias particulares..... Nam ipse princeps episcoporum, scilicet *Papa Innocentius*, primo *Ottomem* fovit & coronavit; postea, ob causam multis notam, illum deponens, *Fredericum* ejus adversarium suscitavit. In Luna vero signa non defuerunt, duas eclipses magnas solito crebrius passa. Quod si in stellis signa quæris, quod vidi referam:

Cap. 25.

Post mortem *Henrici Imperatoris*, cum de successore *Colonix* in palatio tractaretur, post meridiem visa est stella lucidissima: tunc currentibus nobis in curiam Episcopi, omnes illam vidimus, sed quid portenderet visio tam insolita, scire non potuimus.

Ex cap. 26.

Similiter hoc anno, per duas hebdomadas, visa est post solis occasum stella tantæ magnitudinis, ut ad instar ignis splendorem de se emitteret: Judæi asserunt eam fuisse signum adventus sui Messia.

Ex Lib. X, cap. 47.

Videtur nostris temporibus impletum, quod Dominus in Evangelio dicit; Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum, & terræ motus magni erunt per loca, & pestilentia & fames, terroresque de cœlo, & signa magna. Licet de his aliqua dixerim exempla, superaddam nunc plura. Nostris temporibus gens Saracenorum, duce *Saladino Rege Syriae*, surrexit contra gentem Christianorum, à quo capta est *Jerusalem*, cum terra sancta. Contra quam gentem perfidam, tres vidimus expeditiones maximas fidelium; prima fuit sub *Fredrico Imperatore*; secunda sub *Henrico filio ejus*; tertia sub *Fredrico, qui hodie imperat*. Nostris inquam temporibus, gens *Latinorum* surrexit contra *Græcos*, illorum perfidia provocata, cœpitque *Constantinopolim*, & magnam partem *Græciæ*. Circa eadem tempora manifestari cœperunt hæreses *Albiensium*: unde zelo fidei conturbatae sunt gentes catholicorum, & inclinatae sunt regna, utpote *Franciæ* & *Hispaniæ*, ad illius destructionem, sed nondum est finis. Ut enim taceam de regnis gentium infidelium, quanta fuerint bella inter regna fidelia, uti regna *Francorum* adversum regnum *Anglorum*, inter regnum *Alemania* contra *Gallorum* regnum, novimus omnes. Quedam etiam (\*) gens anno præterito intravit regna *Reutenorum*, & totam ibidem gentem unam delevit: de qua nobis non constat, quæ sit, unde veniat, vel quo tendat. De pestilentia, & fame, legimus satis, non in libris, sed in pressuris nostris: post mortem prædicti *Henrici Imperatoris*, tanta fames erat, ut maldrum siliginis in *Alemannia*, marca *Coloniensium*, & in quibusdam provinciis, decem & octo solidis venderetur, & ex magnitudine famis, populus innumerabilis extingveretur. De terræ motibus per loca, nova & magna tibi referam miracula.

Cap. 48.

In anno præsentis, qui est millesimus ducentessimus vicesimus secundus ab incarnatione Domini, sicut narrant quidam de eisdem partibus venientes, duæ civitates in *Cypro* à terræ motu corruerunt. In una verò illarum, dum Episcopus in altari staret, Missamque celebraret, ecclesia tremefacta cecidit, & tam ipsum, quam reliquum populum extinxit.



(\*) Tartarorum.